



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Ars vel officium sagittarij & quando sit illicita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Satisfactio. 497

terrahāt: quia loci sanctitas est ad exemptionem ab effusione seminis humani, non autem à detractione. Similiter sacrilegium est si sacerdos fornicetur: quia sanctificatus est ad castitatem, non autem, si blasphemet: quia non est ad eius oppositum directe sanctificatus, & sic de similibus. Ex his nanque habes unde potes discernere quae sint sacrilegia ab his quae non sunt sacrilegia, etiam si sint peiora sacrilegio.

### *Ars vel officium sagittarij an & quando fit illicita.*

**S**Agittarii ars seu officium, quamvis secundum se non minus liceat quam aliorum armorum usus, quia tamen ab Ecclesia prohibetur contra Christianos ( ut patet in capitulo artem, extra de sagit. ) sub pena excommunicationis inter prohibita computatur. Sed quia glossatur inhibitio haec, & restringitur ad bellum iniustum contra Christianos, promiscue pro nihilo haberi videtur canon iste, dum quilibet bellum suum ut iustum habet.

### *Satisfactio ut pars pœnitentiae diuersi- modè consideranda.*

**S**atisfactio sacramentalis ( quae scilicet est tercia pars sacramenti pœnitentiae, quum distinguitur in tres partes, scilicet constitutionem, confessionem, & satisfactiōnem ) quae vulgariter vocatur pœnitentia iuncta à confessore, consideranda est primo, à confessore si imponenda est, & quæ, quanta, qualis & quando. Regulariter siquidem in omni confessione sacramentali imponenda est satisfactio aliqua: ut sacramentum pœnitentiae omnes materiales suas partes habeat. Dico autem regulariter: quoniam in tribus casibus omitti potest: Primus est, si constaret pœnitentem satisfactisse integrè: nam tunc nulla satisfactio

Hh 4

in iuncta